

Propempticon inaugurale de fidis remediis / [Georg Ernst Stahl].

Contributors

Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

[Halaë Magdeb] : [C. Henckel?], [1708]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/c96auaxq>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

GEORGII ERNESTI STAHLII,
MED. DOCT. AC PROF. PUBL. ORDIN.
h. t. Facult. DECANI,
PROPEMPTICON IN AUGURALE
DE
FIDIS REMEDIIS.



INter reliquas humanæ miseriæ molestias, quæ maxima prudentia, partim tolerari debent, partim temperari atque regi, est certissimè etiam habitus emolumenti humani, quod vulgò interesse vocant, ad *Veritatem*, & ad *notorietatem* (sit venia verbo.) *Veritatem* quod attinet, nota est varia illa conditio humanæ sortis, ut in plurimis rebus veritatem ne quidem *assequi* detur; sed illa multiplicibus umbris atque tricis involuta, non nisi difficillimè tanquam exsculpi atque erui possit. Quando verò etiam inventa est, imò passim etiam vel per se ipsam illucescit, occurrit altera miseria, quod illam *pandere* atque palam facere, sæpè numero minimè liceat, nisi multorum commodorum jacturam, incommodorum autem variorum messem, facere, præparatus, imò obstinatus, sit animus. Exemplo esse potest inprimis *Ictorum Decretum*, quod etiam *verum dicendo fiat injuria*; quâ in re, licet utique maximè respiciant ad *animum* dicentis, apparet tamen satis, quod *primarium rei fundamentum* in eò consistat, quod illud, quod tali ratione, etiam *animo nocendi* profertur, ex se ipso vel *honestatem*, vel *utilitatem*, alterius evertere possit, imò pluribus modis alteri *malum* esse, cum tamen sit *verum*. Adhuc autem magis notum est, quantò majus damnum *Veritas* passim minetur miseris mortalibus, etiam in propriis suis personis; adeò ut nihil familiariùs sit, quàm illud, quod multis hominibus nihil minus auspiciatum evenire posset, quàm si, quæ in ipsis verè insunt, ad notitiam pervenirent. Ne enim de illis rebus loquar, de quibus vulgi proverbium agit, wann einem jeden an die Stirn geschrieben stünde &c. Est certè satis inter omnes notum, quàm parum multis hominibus expediret, si non tam fundus *animi* ipsorum, quàm solum fundus *marisupii*, *pollicitationum*, *narrationum*, *speciei externæ*, *titulorum* atque *vitulorum*, palam fieret. Nempe hæc res facit utique, ut magna opus sit prudentia ad *dijudicandum*, ubi conveniat, seu veriore voce, ubi *expediat*, verum profiteri. Non mea est sententia, sed mea solum verba sunt: *Nunquam dubitandum est an oporteat vera loqui; sed sæpissimè, an loqui?* Quemadmodum autem in plurimis etiam aliis occasionibus, hæc vera profitendi difficultas, locum habet

habet multiplicem, ita etiam in ipsa utique *Medicâ Arte*, non pauca occurrunt ejus specimina. Ne prolixius illa enumerum, quæ Artis totius *Cer- titudinem*, aut fluxas & inanes speculationes ac *opiniones*, respiciunt; ne- dum quæ ad *hominum*, ad exercendam talem artem (etiam Gallicano illo cum jocoferio: *Vade, & occide, Cain*,) emissorum, *Sciëntiam* atque *Consci- entiam*, passim commentanda occurrerent: satis puto erit in uno aliquo e- xemplo hujus rei commemorasse, nempe *vera atque fida remediornm effica- ciâ*. Duplicem esse Medicamentorum efficaciam, certum est, aliam velu- ti *directam & absolutam*; aliam autem multis adhuc circumstantiis, insigni prudentiâ atque peritiâ indigentibus, tanquam unicè innitentem, illis qui Artem verè didicerunt ac intelligunt non potest ignotum esse. His autem demum, qui cum vero intellectu, Artem veram, tanquam habitum unicè cum *recta ratione effectivum*, tractant, facilè utique succurrit, quod medicamenta quidem illa, *directè* evidentis efficacix, non nisi ad *generalio- res* quosdam usus quadrent, & ferè non tam propriè, *morbis*, directam suam efficaciam præstent, quàm in genere, etiam *sano* corpori eosdem ef- fectus inducant: quod de Vomitoriis, Purgantibus, Adstringentibus, Nar- coticis, manifestum est: quæ verò veriùs atque pressius verè male affectum, seu morbis obsessum corpus, quòquo propemodum modo solentur, non ni- si sub perita administrandi ratione hoc ipsum præstent. Interim quid ma- gis prædicatur coram omni populo, quid magis legitur. quid magis in oculos ingeritur plebi, per apparatus illum prope modum immen- sum, tot nitidorum *vitrorum*, tot pictorum *urceorum*, tot politorum *stæn- neorum* scyphorum atque cantharorum, tot affabrè tornatarum & versi- colorum scriptura signatarum *pyxidum*, tot *repositoriorum*, tot *mortariorum*, & eorum sonorum, tot, tanquam illicium, *odorum*, tot *capsarum, thecarum, scatularum*, pictis chartis obductarum, & scitulè scissilis operis apparatu, tanquam phaleris, exornatarum, tot *saporum* lenociniis, tot *foliolorum au- ri* jam inductione jam insperione, tot longis & gracilibus *cucuphis* &c. &c. Per ominosa illa *nomina*, è Medicorum edictis passim inscripta, *Panacæa- rum, Tincturarum salutis, Elixiriorum Vitæ, Aquarum Vitæ, Aquarum Cor- dialium* frigidarum calidarum, & tepidarum, Pulverum & Confectionum *de Gemmis, Aurorum potabilium & putabilium, Auri horizontalis, Tinctu- rarum Auri, Argenti, Gemmarum, Coralliorum, Bezoardicarum* variarum: tot mixturarum *corroborantium* atque confortantium, ante omnia *perlata- rum*: Confectionum *cordialium completarum & incompletarum*: Aquarum, Spirituum, Balsamorum, *Apoplecticorum, Epilepticorum, Cephalicorum*, spiritus restaurantium, *Magnanimitatis*, ad *Vitam longam*: tot *Alexiphar- macorum*, tot, *Alexiteriorum*, imò *Alexicacorum, Arcanorum* non solum simplicium, sed etiam *duplicatorum, Tartarorum*, & quæ describere lon- gum est: sed longius ferè præscribere; exemplo Receptarum, non per u-

ncias, aut dodrantes, sed per palmas, spithamas, imò pedes, metiendarum : Quæ si tandem per Logarithmos, aut breviori Mechanicâ, per Planisphæria & Astrolabia *gradus* caliditatis, frigiditatis & humiditatis simplicium indicantia, demùm comparari atque coaptari debeant, quis non crederet, exsculpi hæc ex intimis penetralibus antiquissimæ Chaldaicæ & Ægyptiæ, Hieroglyptæ sapientiæ, cujus autor, si non vivus Apis, qui Bos erat, tamen Osiris, aut Isis, Dii gentium, fuisset. Jam si quisquam harum rerum VERAM dignitatem atque justam æstimationem simplici oratione declararet, (dico, quod coram Deo & hominibus VERUM est, de illis diceret,) quid ille aliud, quàm à magnis, parvis, altis, humilibus, senibus, juvenibus, pro puro puto stulto haberetur & increparetur. Quod quidem tantò minus mirum est, cum etiam unum præstò sit exemplum, quod omnes hos tales reliquos, vix non in solidum, excuset. Illud intelligo, quod etiam *multoties, diu, pretiosè, talium rerum inertiam, inutilitatem, heteroclitam vehementiam*, inter ipsos artifices, dissentientes, *malam earum famam, & contentum*, variè *in suo ac suorum corpore* experti, tamen *fiduciam* abjicere non inducuntur : quin vel solùm artificis minùs dextræ *administrationi*, defectus causam adscribant, vel adhuc patientiores, simpliciter *propriæ suæ naturæ vitiis* & obstinationi, hoc exprobrari & vitio dari consentiant, quod tot nobilissimorum medicamentorum tanta quantitas, non solùm in melius in firmitatem illorum reducere non valuerint, sed reverâ sensibilibiter de tempore in tempus, in deterius prolabentem, ullo modò impedire aut sustentare minimè valeant. Exhorruì profectò ante paucissimum tempus, quando *Viri hypochondriaco-colico hæmorrhoidalibus* incommodis, non tam decumbentis quàm solùm inquieti atq; molestati, rationes inspexi, à Medico, nempe Practico famoso, merorum *specificorum & arcanorum* architecto, ipsi de tempore in tempus transmissas, quarum una schedula 180. florenos Batavos, alia septuaginta, aliæ sexaginta, aliæ quinquaginta, paucae quadraginta, imperabant, tot numero, ut qui hæc omnia vestigalia pependerat, rotundo numero 800. florenos complecti confiteretur, indubiâ sibi summâ, postquam illam utique solido argento exsolverat? Et hoc tantò minus fallente memoria, postquam omnia illa pro hoc tanto pretio medicamenta, seu potius pura puta *specificâ & arcana*, (& quidem non solùm ad *præsentes* ejus morbos, sed qui etiam adhuc, inter omnium horum *Arcanorum* indefinentem & largum usum, ab ipso Artifice ita *impendere* prædicebantur, ut contra illos ipsos, peculiaribus *prophylacticis arcanis*, quæ simul *in copia* mittebantur, v. g. Arcanum *Antipodagricum*, licet patiens nihil adhuc podagrici percepisset,) vix plus *quatuor annorum* spatio, universa absumperat. Ex his omnibus rebus, ut brevior sim, fluit quidem atque illud, quod *Arcanum* illud usitatæ *Praxeos Medicæ & pharmaceuticæ*, equidem secundum simplicis *veritatis* candorem propalare, res esset, etiam

iam totius medicinae existimationi, quam tamen amplissimam esse omnibus modis expedit, apud intemperantiores plurimum detrahere apta: quod si fieret, ingens certè præjudicium, imò certum quoque damnum immineret rebus, quæ tamen artem plebi propemodum maximè venerabilem reddunt; non dicam iterum odiosâ veritate, *fastui* atque *luxui*, sed comptiore verbo, *splendori*, &, quam beluæ barbarissimos increpantes, tamen pro *existimatione* nominant, *dignitati*, Gallicæ *honestati*, (*bonnêteté*) artificum. Interim expedit tamen omninò, cordatos, & melioribus fati curiosos, Medicinæ sectatores atque cultores, intelligere omninò, meminisse, imò inquirere atque anhelare, experiri, an etiam verè nullus usquam restet locus probæ spei, inveniendi aut experiendi talia aliqua remedia, quibus in curandis morbis certius aliquid tribuere atque *fidere* liceat: An verò ita perditæ sint res generis humani, ut simpliciter perditas illas deceptiones prosequi, unicè sit necessarium, ut falsariis *nominum* formulis, & reciproce *autoritatis* testimoniorum conspiratione, ægri non solùm sine verò artificioso *auxilio* relinquendi sint, sed etiam alienis excrucianti, & insuper aliqua pars bonorum, illorum tam mortuorum, quàm vivorum, inter medicos & pharmacopæos dividenda. Puto abundè esse variorum & *versipellium* remedium, *nominum*, & variis coacervationibus *præparatorum*. Abundè est *commentatorum* atque *commendatorum*: Abundè est *sequacium*: Abundè *Locorum communium*, *citationum* & *allegationum*, testium talium, sub præjudiciis adhuc *tulorum*, *Illustrium*, *Illustrissimis personis charorum*, *Experientissimorum*, *Celeberrimorum*, Medicorum atque *Chymicorum consumatissimorum*, imò, ne scenæ Rex desit, integrarum *Facultatum*, (licet non urbibus solùm, sed orbi etiam notum sit, quod, quotquot illarum sunt capita, in ipsa praxi communiter, singula ab omnibus reliquis dissentiant;) Abundè est *formularum*, ad talium luminum ductum, aut *imitationem*, præscriptarum: imò sincerius, è dictatis, Collegiis, magnis Voluminibus practicis, (optimè, si quidem bonæ essent, nempe *veræ*,) *exscriptarum*. Sed est etiam abundè quotidianorum exemplorum, quàm parum aut nihil, ex his omnibus Emolumentum in miserabiles ægros redundet; Cujus tamen rei, ne vera docimasia, atque lapis Lydius desit, satis erit animum advertisse, *quid ex omnibus hujusmodi medicamentis, majoris utilitatis in patientes redundet, quam illi sentiunt, qui, paribus morbis decumbentes, alii contrariæ energiae medicamentis utuntur, alii verò etiam planè nullis*. Erit itaque non solùm ingens operæ pretium, si felici hic esse contigerit Medico, ut verè FIDIS remediis, loco *infidorum*, tam locuplete numero ipsum circumfistentium, potiri obtingat: Sed erit profectò etiam & occasio, & totum objectum, tam speculationes, quàm observationes, egregiè planè exercendi & acuendi. Pro quo scopo feliciter attingendo, necessaria est, primò prorsus loco, uti certè peritissima, ita etiam solertissima atque atteritissima discretio, quid I. à me.

dicamenti cujuslibet magis *directa* efficacia sperandum veniat, imò deprehendendum : II. quid de *subordinatione* talium ad *methodum*, Synergiæ oeconomiæ vitalis avtocraticæ superstructam, constans experientia polliceatur ? III. Quid tandem in quolibet genere securæ *certitudinis* subsit, ut medicamento de exoptato effectu verè fidere liceat. Hanc considerationem, sed sanè non nisi perspicacissimæ solertiæ adeundam, commendo toto animi studio, nec unicè ad pancratica, (tanquam ordinariè ultimò potius *πανκράτεια*,) remedia simpliciter, ita quærenda aut æstimanda animans, rerum necessariarum satagere paratos ; sed unicè ad talia, quæ quolibet etiam, verè effatu digno & operæ pretium faciente, *gradu*, etiam mitigare solum, verè & bona fide, & citrà alias alieniores consequentias, valeant, & nihil æquivoca experientia talia se gerant, imò præstent. FIDA hæc appello remedia ; nempè quibus *fidere* liceat. A *fidis* hæc vel exquirenda sunt, vel certè petenda, hominibus, bonæ fidei compertis, à vanitate, fastu, à se ipso disidiis, & contradictionibus sui immemoribus, longè remotis. Imò profectò res est ejus momenti, ut fas omninò sit, Deum ipsum in subsidium vocare, ut mentem dirigat & occasiones exoptatas subministret.

Hæc commentari libuit, occasione publicæ commendationis, quàm meretur Candidatus Artis dignissimus

DN. JOHANNES CHRISTIANUS DAUMIUS.

Cygnæ hic natus est, d. 30. Octobr. Anno 1674. Parente Celeberrimo Philologo, CHRISTIANO DAUMIO, Scholæ Patriæ Rectore, Matre autem fæminâ honestissimâ, ANNA MARGARETHA, B. M. ANDREÆ AUERBACHII, Pastoris in Dischitz, Geranæ Dioeceseos, filiâ. Ab ineunte statim ætate Parentum cura fuit, ut pietate liberalibusque artibus quàm solertissimè imbueretur unicus filius, eâ verò felicitate diu fruisi ipsi haud licuit, cum Ao. 1685. jam defunctam Matrem mox Ao. 1687. præmaturâ nimis morte sequeretur ipse desideratissimus Parens ac Præceptor, adeoque qui hâc ipsâ nece deficere quasi videbatur ingenium formandi labor, Domino FREUNDIO & LEISNERO, post B. M. DANIELI MULLERO, & B. Affini M. DAVIDI WINTERO, illis Collegis, hic Successoribus Reçtoratq; dignissimis, commendabatur rursus ac injungebatur reliquus, quorum optimorum Præceptorum fida manu ductio usque ad annum 1693. usus, postmodum Mensè Aprili Illustre Ruthenæum adiit, ut sub umbone B. Domini APPENFELDERI, Mercatoris integerrimi ac Hospitis liberalissimi,

mi, perspectam B. KOEBERI, WENDLERI, WOLFII, & ANTOIN le MAIRE, in docendo fidelitatem experiretur ipse, Accroasibus Academicis, comprehensis humanioribus studiis, reddendus aptior. Ad Medicinam v. cum proclivem sensisset animum Ao. 1695. Mense Majo Lipsiam sese contulit, inibique sibi mox faventem offendebarur B. D. LANGIUM, cujus doctrinam, ædes, ac victum, suis non utiliter accommodabat usibus, adeò ut singularis ipsius Benevolentiae memoriam etiam post fata gratus colligere justissimum duxerit; Pari quoque honore mentionem facit B. D. SCHAMBERGERI, utpote Hospitis quoque sui per semestre candidissimi, quorum Præceptorum, ut privatò ductu, ita reliquorum Excellentiss. Dn. Professorum Lectione publicâ eò progressus est, ut Anno 1698. mense Julio à B. LANGIO praxi experiri jussus fuerit, quid humeri valeant: quare Medicinæ faciendæ commodam Bornam sibi existimavit sedem, annoque subsequente jussu Serenissimi ac Celsiss. Dni. FRIDERICI, Principis Saxo-Gothani Clementissimi, Medici Provincialis munus suscepit, susceptum fideliter observans, ut adeò, trienniò, & quod excurrit, in hoc stadiò peractò, vel difficulter posthac, quod submissè rogabat, dimissus visus fuerit, exterarum regiones invisendi cupidus. Accessit itaque Ao. 1702. sub finem Septembris Hamburgum, ubi Pl. Rever. atque honorandi Domini Cognati, Dni. M. AUERBACHII, Archidiaconi ad D. JACOBI, consilio, reliquorumque ipsi benè cupientium Amicorum, itineri navali in Angliam sese ut accingeret jubebatur; Verùm tempestatibus in hyemem usque protractis, aliquoties fluvium repetere, atque sic à cœptò desistere cogebarur, pertæsus eventus minùs prosperi. Quamobrem consultius fore ratus, si Batavos adiret, quos sub veris initium eà quoque felicitate salutare contigit, ut Celeberrimum Dn. GRONOVIIUM, Magnif. t. t. Lugd. Batav. Rectorem, ut & Excellentiss. D. ALBINUM, votis assurgentes, benevolosque obtinuerit, quorum postea consilio & autoritate Amstelodamum sibi Praxeos Medicæ exercendæ gratia, ad tempus elegit, ibique, visis prius celebrioribus Belgii urbibus, Eruditorum tum adeundi tum compellendi copiâ abundè fruebatur. Exegit ita biennium ferè, nullâ Medicinam vel utilitatis vel curiositatis gratia excolendi occasione destitutus, quin favore populi adjutus potiùs. Patriam autem repetere allaborans Cùstri ni salutavit Virum Excellent. D. D. STOSCHIUM, Regis Borussiae Archiatr. penes quem per aliquot menses commoratus, favorem Ipsius singularem ergà se expertus est, quò retentus procul dubio fuisset diutiùs, nisi paulo post, ob clementer ipsi collatum Medici Castrensis munus, juramento, quod vocant, fidelitatis, Dresdæ d. 12 Julii Ao. 1705. obstrictus, copiasq; à Potentiss. Rege AUGUSTO ac Electore Saxoniae ad Rhenum missas auxiliatrices, Ductore Generosissimo Comite ac Generali Vigiliarum Rei Tormentariae Præfecto Dn. d. WACKER-BARTH, secutus fuisset, quò officio, cui satisfacere suarum credebat esse

se partium, tam diu fungebatur, usque dum Hugenoâ, (à Monfr. *MAR-*
SIN d. 11. Maji 1706. receptâ) cum cæteris Ipse captivus in Galliam abdu-
ctus fuerit, assignatâ sibi Alsatiæ Lotharingiæ atque Picardiæ Metropoli
captivitatis sede: ubi perspectâ simul Gallorum medendi methodô, in intimi-
orem Amicitiam Monfr. *DU CROQV*, & *ASSOLET*, Medicorum Clarif-
simorum, facillimè admittebatur. Sub initium verò subsequentiis anni liber-
tatem Argentorati adipiscebatur, cumq; miles patrius Saxoniam repetere jus-
sus fuerit, & hunc simul sequebatur. Fessus jam propemodum talibus incom-
modis, quietiorem optans Occasionem pro exercenda Arte, adjecit animum
ad petenda Jura atque Privilegia, còque nomine Facultatem nostram de-
center consulavit. Cui cum in Examinibus consuetis dignos tali spe pro-
fectus, in Scientia & Experientia satis comprobasset, impetravit inde ut ad
Cathedram Disputatoriam Ipsi panderetur aditus, de qua *CONSILII MEDI-*
CI indolem & practicum usum disquisitioni eruditæ exponet, ad proximum
diem XXXI Julii. Ad quem actum solennem, *SERENISSIMUM PRIN-*
CIPEM SAXONICUM, debiti honoris gratia, Patronos, Fautores, Pro-
ceresque utriusque Reipublicæ, inprimis Pro-Rectorem Academiae Ma-
gnificum, & Professores omnium Facultatum longè celeberrimos, civesq;
omnium ordinum, pro dignitate atque meritis honoratissimos, quibus par
est, obsequiis, officiis, & humanitate, invitamus. P. P. Hal.

Magdeb. XXXI. Julii, MDCCVIII.

